ckmannus
De
rnoscho
bitarum
ao1o

כמוש
אלהי מואב

SEU

DISSERTATIO PHILOLOGICA

DE

CEMOSCHO
MOABITARUM IDOLO,

QUAM

EUCHARISTIÆ SACRÆ PRÆVIAM,

ADNUENTE VERO SUPREMOQUE NUMINE,

PRÆSIDE

ALBERTO SCHUMACHERO,

S.S. Theol: Doct: & Prof. P. Sen. Illustr. Lycei Rect. Magnif.

nec non Cœtus Anschar.

Pastore Primario,

Publicæ disquisitioni subjicit

DITHMARUS HACKMANNUS,

Walda-Montanus,

A U C T O R.

Ad D. Veneris XIV. Jul. MDCCXXX. H. L. Q. S.

BREMÆ,

Typis Hermanni Christophori Jani, Illustr. Gymnasii Bremens.

Typographi,

PERILLUSTRI, GENEROSISSIMO AC VIRTUTE BELLICA STRENUISSIMO HEROI ET DOMINO,

D. JOHANNI FRIDERICO,

Lib. Baroni de *Buttlenberg*, dicto KESSEL, generis antiquitate & gloria majorum florentissimo, Dn. Hæreditario de *Kesselberg* & *Casparsbruck*, Cohortis Copiarum pedestrium Serenissimi ac Potentissimi Electoris Palatini, FRIDERICI WILHELMI &c. &c. Præfecto perinsigniter merito, Feudorum Hahnens. & Hildens. Domino, Vicariatûs Waldensis Collatori, Fautori meo gratissimo, Mœcenati omni observantia colendo.

UT ET

PERQUAM REVERENDO ET LONGE CELEBERRIMO VIRO,

D. ALBERTO SCHULTENS,

S. S. Theologiæ Doctori, nuper in Illustri Frisiorum Academia, L. L. O. O. ac Philologiæ S. Professori Ordinario, nec non Concionatori Academico, cum maxime vero Splendidissimo Inclytæ Academiæ, quæ Lugduni in Batavis floret Decori, Collegii Gallo-Belgici Regenti ****. Viro ut in LL. præcipue OO. Apollini, ita in quovis Eruditionis genere versatissimo, Vultu etsi adhucdum ignotissimo, ex scriptis tamen solidissimis abunde cognito, & in posterum ἐὰν ὁ Θεὸς θελήσῃ, καὶ ζήσω, futuro Præceptori meo, omni Honoris & Amoris cultu prosequendo.

Hanc Dissertationem
sacram facio

Dithmarus Hackmannus.

DISSERTATIO PHILOLOGICA
de
כמוש
MOABITARUM IDOLO.

PROOEMIUM.

Tristissima non minus quam fœdissima quondam orbis terrarum erat facies, cum, ut Annales *ab omni ævo loquuntur, maxima pars mortalium, adeo in Idolomaniam proclivis fuerit, ut, creatori, non solum creaturas adjungere, sed etiam easdem religiosissimo colere ritu voluerit. Multiplicatus hinc adeo est Deorum numerus, ut ARNOBIUS & MINUCIUS FELIX non solum de Romanis affirment, eos, quam plurima, imo omnia pro Numinibus, coluisse, sed & JANNABIUS testetur, circa Meccam Arabiæ urbem,* ثلثماية وستون صنم tercentum & sexaginta idola *fuisse; adeo, ut Arabes singulis diebus unum, si liberet, numen invocare, aut singulos non solum menses, ut solent Persæ ab angelis, sed singulos quoque anni dies ab Idolis denominare, potuerint. Quæ, cum ita se habeant, quem mirari subit,* Moabitarum *populum à vera religione remotum, etiam* τοις μη φυσει ουσι θεοις *serviisse. Cum, ut in* Sacris Pandectis *relatum legimus, præter alios, non solum* Baal-Pehorem, *sed etiam* Cemoschum *divino honore mactaverit. In quibus tamen elucidandis, quotquot Idololatriam Veterum illustrare conati sunt, tam parum profecerunt, ut* Celeberrimus Theologus *pariter ac* Philologus *J. F. BUDDEUS* Tom. I. Histor. Eccles. V. T. *pag. 775. pronunciare non dubitaverit,* omnia ad conjecturas redire: nec certi quicquam de hisce affirmare integrum esse. *Unde, quæ de Posteriori Deastro, quod nomine* כמוש *venit, certiora nobis deprehendisse videbamur, Eruditorum judicio in præsenti exponere, in animum induximus. Præcipue, cum inutilis plane labor non sit, qui ei impenditur. Quæ enim* Spiritus Sanctus *operæ pretium duxit commemorare, non indigna censeri debent, ut à nobis sollicite inquirantur.*

§. I.

Nomen, quod ut ſibi privum hocce *Idolum* circumfert, eſt *Cemoſch*, quodque Scriptores Sacri per כְּמוֹשׁ ſcribunt. Quam Scriptionem rectè preſſo pede ſequitur *Chaldæorum* interpres ONKELOS. Vulgo tamen, licet vitioſe effertur כָּמוֹשׁ *Camoſch*; ex pronunciatione forſan LXX. *Seniorum*, qui ΧΑΜΩΣ vocant. Hinc ARABS كموش & ÆTHIOPS כָּמוּשׁ vel כָּמוֹשׁ habent. Succenturiantur PHILO, SUIDAS, HIERONYMUS, MARTINIUS, PHILASTRIUS, CASTELLUS, FAGIUS, DRUSIUS, RELANDUS, aliique fere omnes, qui ad has metas ſudarunt, quorum nomina jam recenſere ſuperſedeo.

§. II.

Plus vice ſimplici כמוש hujus in *Codice Sacro* injicitur mentio, tanquam Deaſtri à *Moabitis* culti; qui & inde per עם־כמוש *populum*, cujus *Cemoſch* Deus eſt circumſcribuntur. *Num.* XXI. 29. אוי־לך מואב אבדת עם־כמוש Quæ verba luculenter ſatis interpretatur CHALDÆUS: וי־לכון מואבאי אבדתון עמא־דפלחין כמוש Addatur *Jerem.* XLVIII. 46. Unde ABEN-ESRA כמוש per שם צלם אלהי מואב & R. ISACIDES per שקוץ אלהי מואב ad *Num.* l. c. explicant. Quapropter & *Moabitis* judicium divinum propter hunc כמוש cultum, intonatum fuit. *Jerem.* XLVIII. 7, 13. & 45. Videtur quoque noſtrum כמוש ſubinnui per *Deum Orpæ*, *Ruth.* I. 15. *coll.* 16. licet nec negem, בעל פעור itidem à *Moabitis* cultum *ibidem* probabiliter intelligi poſſe. PFEIFFERUS ſaltem in *Dub. Vex.* ad h. l. pro *Cemoſcho* noſtro militat. Ego hanc litem meam non facio. Salomo interim huic כמוש שקץ מואב altare exſtruxit in monte, qui urbi Jeruſalem oppoſitus. 1. *Reg.* XI. 7. Per quem plurimi *Rabbinorum* æque ac *Chriſtianorum* montem *Olivarum* intelligunt, quo in cultus hic à tota Urbe videri poterat, atque propterea magno eidem ad Idololatriam erat incitamento. Hinc & *mons offenſionis* appellatur. Errat autem DRUSIUS, quando in *Comm.* ad *Jud.* XI. 24. adnotat: *Præter Chamos non legimus alium Deum fuiſſe in regione Moab.* Quaſi Moabitæ duntaxat *Cemoſchum* pro Deo ſuo habuerint. Cum tamen expreſſa aliorum numinum à

Moa-

Moabitis cultorum, occurrant exempla. Res notissima non minus quam certissima est de בעל־פעור quod *illorum* æque ac *Midianitarum* numen audit.

§. III.

Moabitis vero non solum כמוש privum fuit, sed & simul *Ammonitis*, quorum tamen ordinarium numen exstitit *Melcom*. Huc spectant verba *Jephtæ* ad filios Ammon, quæ memoriæ prodita, *Jud*. XI. 24. הלא את אשר יורישך כמוש אלהיך אותו תירש Quæ dubio procul causa fuit, cur SUIDAS כמוש Deum *Ammonitarum* appellaverit, scribens: Χαμας, Θεὸς Αμμανιτων. Idem confirmat *Bernh*. de BREIDENBACH: *Duo filii Loth, Ammon scilicet & Moab, hanc domum* (Meccanam) *honorabant, ibique duo colebant idola, unum ex albo factum lapide, quod Mercurium; alterum ex nigro, quod Camos appellabant*. Et paucis interjectis: *Arabes quoque cum Ammonitis & Moabitis hæc idola adorabant*. Minus autem curate כמוש *Sodomorum idolum* vocat GREGORIUS, pag. 43. *Qui Astartem adorant, aut Chamos, exsecrandum Sodomorum Idolum*. Quamvis Doct. DRUSIUS ad *Num*. XXI. 29. putet, illud *exsecrandum Sodomorum idolum*, ad *Astartem* solùm referri debere, non autem ad *Chamos*. Verum, hanc tamen GREGORII non fuisse mentem, per se liquet. Nec felicioribus ludit tesseris FEGVERNEKINUS, quando alios insuper *Cemoscho nostro* adsignat cultores, in *Encherid. Locor. Comm*. p. 88. & 289. *Chamos, Idolum Amorrhæorum, Ammonitanum & Moabitanum*. Cum tamen nec vola, nec vestigium appareat in sacris, *Ammorrhæos* unquam *Cemoschum* veneratos fuisse. Unde nos, duce *Sacra Scriptura* idolum כמוש duntaxat pertinere ad *Moabitarum* & *Ammonitarum* populum, existimamus.

§. IV.

Et quidem recte. Nam non solum hi duo populi propinqua cognatione conjuncti fuerunt, utpote, qui ex fœdæ libidinis amore & perversa generis sui conservandi cupiditate, à *Lotho* cum duabus filiabus suis prognati. *Gen*. XIX. 37. De quo eleganter SULPITIUS SEVERUS Lib. I. *Hist. Sacr*. Cap. X. ait: *Loth filiæ existimantes humanum genus interiisse, concubitum inebriati Patris appetiverunt: unde Moab & Ammon nati sunt*. Sed & regione extiterunt finitimi. Hinc JOSEPHUS utrosque vocat populum, „qui simul

inhabitat CœleSyriam, *Antiq. Jud.* L. I. 2. Et THEODORETUS ad *Jerem.* IX. 25: *Idumæi quidem*, ait, *genus ducentes ab Esavo, circumcidebantur, juxta legem Abrahæ datam. Ammonitæ vero & Moabitæ, ut vicinitate juncti, æmulati sunt cognationem.* Unde mirum non est, utrumque quoque populum de una eademque participasse superstitione, sibique tot insuper numina finxisse, quot utilia ac commoda videbantur, sive ad rem domesticam, sive etiam ad publicam constituendam ac conservandam.

§. V.

Hisce ex composito præmissis, ad ipsum Idolum כמוש me confero. Unusquisque autem, qui in Veterum scriptis pervestigandis aliquam collocavit operam, mecum fatebitur, jam ab ultima usque memoria, genuinam vocabuli כמוש significationem, in varias partes traxisse Eruditos. Ut autem eo liquidius ex collatione variarum sententiarum institui queat de re isthac judicium, sedebo ad calculos, & quasdam earum hac charta dinumerabo. Primo autem censui inscribam HIERONYMUM, qui omnino existimavit, *Cemoschum* esse *Baal-Phegor*, & non nisi solo nomine ab eodem differre. Ita enim ad *Jes.* XV. 2. scribit: *In Nabo * erat Chamos Idolum consecratum, quod alio nomine appellatur Beel-Phegor.* Hujus

* Haud dubie *urbs* illa *Moabitidis*, quæ nomine *Nabo*, vel potius נְבוֹ *Nebo* nobilitata, intenditur; cujus mentio fit *Es.* XV. 1. & *Jerem.* XLVIII. 1. Ejusdem nominis *mons* occurrit, fato Mosis celebris, *Deut.* XXXII quique à JOSEPHO L. IV. *Antiq.* 7. exadversus *Hierichuntem*, situ valde excelso constituitur, & quidem in terra Moab. EUSEBIUS: Ναβαυ. ὄρος ὑπερ τον Ιορδανην αντικρυ Ιεριχους εν τη Μωαβ, ενθα ετελευτησε Μωυσης Disputant viri docti, appellationemne *mons* invenerit ab *urbe*, an magis *urbs* à monte. *Prius* placet quam plurimis; *Posterius* autem solùm veritati consentaneum videtur. Nam Radix نبو נבו & per anomaliam נבה unde נְבוֹ *mons*, in origine & antiquissima proprietate continet *gibbosum* & cum *convexitate editum*, quod docte, ut solet, *magnus arabizantium doctor & indefessus literaturæ orientalis promotor* D. ALB. SCHULTENS in *Diss.* I. de *Ling. Hebrææ defect.* §. XXV. *sqq.* demonstratum ivit. Hinc TEBLEBIUS *Scholiastes vetustissimus* ad *Conf. III, Sanan* scribit: ارتفع نبا ينبو اذا يقال נבה *dicitur de re, quæ ob elationem protuberat.* Atque inde propagines نبي & نابي *locus gibbosus* & *convexus. Via conspicua & patens.* نبوة & نباوة *pars terræ gibbosior & convexior.*

Hujus vestigia legunt RAVANELLUS Tom. I. *Bibl. Sacr.* p. 421. VOSSIUS Lib. II. *Idololat.* Cap. VIII. GOODWINUS Lib. IV. MOS. & AAR. Cap. III. §. 3. SELDENUS Synt. I. de *Diis Syris* Cap. V. p. 91. & Synt. II. Cap. XII. p. 266. HILLERUS *Onom. Sacr.* p. 399. VITRINGA ad *Jes.* XV. p. 463. Et qui hanc hypothesin præcipue fuse adstruere conatur *Pet.* JURIEU P. IV. in *Historie des dogm. & des cult. de l' Eglise.* Cap. IV. p. 561. *Et je ne doute pas que cela ne soit vrai, parce que dans toute l' Histoire Sainte, il ne nous est plus parlé de Beel-Phegor, excepté quand il est fait mention du peché des Israelites avec les filles de Moab; si ce n' est une seule fois au 34. Ch. du Deuteronome v. 6. L' Idole des Moabites toujours de puis est appelleé Kemos. Or il n' y à pas d' apparence, que les Moabites ayent changé de Dieu, apres le fait de Pehor. Ainsi c' est un autre nom de la même divinité. Et en effet si nous y regardons bien, nous verrons les mêmes personnes sous Chamos, que nous avons trouvées sous Baal-Peor, savoir Priape, & Noe.* Verùm, ego non video, quid obicem ponat, quominus præter *Baal Peor* etiam aliud idolum, illudque toto cœlo ab eodem diversum, cui nomen *Cemosch*, Moabitæ coluerint, ut recte judicat BUDDEUS Tom. I. *Histor. Eccles.* V. T. pag. 775. Quod egregiè calculo MAIMONIDIS confirmatur, in *Epist.* ad *Proselyt. Religios.* quando & cultum *Cemoschi*, & *Baal-Pehoris* Ismaelitis attribuit, inquiens: באמת שהיו־־ לישמעאלים מקודם באותם המקומות שלשה מיני עבודה זרה פעור ומרקלים וכמוש *Certum est, fuisse Ismaelitis olim istis in locis tres cultus Idololatrici species, PEOR scilicet, mercurium & CEMOSCHUM.* Huc accedit, quod tota hæc sententia non nisi artificio conjectandi nititur; inde nec quisquam hactenus ullam inter *Cemoschi* & *Pehoris* cultum, convenientiam edocere potuit. Præcipue, quum talem cultum assumamus, qualem utrisque, rei veritas adsignat.

§. VI.

Ingenti ab his divortio abivit Cl. VOSSIUS, quippe, qui vocabulum כמוש conflatum putat ex כ servili, quod *similitudinem* notat; & מוש *palpavit, contrectavit,* Lib. II. *Idololat. Vet.* Cap. VIII. p. 345. Concinit SELDENUS loc. supra cit. Haud dubie prælu- serat iis PHILO *Judæus* Lib. II. Νομων ἱερων ἀλληγορια δευτερα pag. 104. quando כמוש per ΩΣ ΨΗΛΑΦΗΜΑ interpretatur: λαος χαμος,

τῦτ᾽ ἐϛιν ὁ λαὸς σῦ καὶ ἡ δύναμις, εὑρῆται πηρὸς καὶ πετυφλωμένος. Χαμὼς γὰρ ἑρμηνεύεται, ΩΣ ΨΗΛΑΦΗΜΑ. Ἴδιον δὲ τῦ μὴ ὁρῶντος τὸ ἔργον τῦτο. *Populus Cemosch, hoc est, populus tuus & potentia, inventus est cœcus & orbatus luminibus. Cemosch enim interpretatur, quasi palpatio; quod visu carentis proprium est.* Sed obstat huic sententiæ, quod verbum מוש nec in Hebræa, nec in ulla alia lingua orientali, de tali *palpatione*, qualis in *cœcis* & *visu carentibus*, exstitit, usurpatur. Apud CASTELLUM & STOCKIUM themati huic subjiciuntur notiones: *recedere*, *discedere*, *movere se*, *amovere*, *dimoveri*; itemque alia potestate mutuò sumta à radice משש *palpare*. Quæ quidem bene sese quoad externam thematis faciem habent, sed tamen ejus antiquissimam & genuinam proprietatem in obscuro relinquunt. Quippe utriusque radicis origo & genuina potestas sita est in *tergendo*, quam nobis Dialecti matris Hebrææ linguæ suggerunt. Quomodo מוש sumendum *Zach.* III. 3. משתי את־עון הארץ ההיא ביום אחד ubi משתי non est *removebo*, ut vulgò putatur, sed *abstergebo*, *delebo*. Unde succrevit *palpare manu blanda*, seu *explicita*. Quæ vis se exserit *Ps.* CXV. 7. *Manus eorum non palpant.* Hinc in *Hiphil* valet: *Palpandum præbuit*, ut *Jud.* XVI. 26. Inde porro prognata est notio *subtrahendi*, ut *Mich.* II. 3. Nam *tergere* commode transfertur *ad sensim & leniter subducere*, veluti, quum manum meam ab alio pressam ac constrictam *trahendo* & *tergendo*, quasi subduco. Unde deinceps alio canali promanavit usus in *discedendo* situs; quasi dicas, *semet subducendo & subtrahendo in lacus. Exod.* XXXIII. 11. *Num.* XIV. 44. *Jos.* I. 8. Atque ex hisce luculenter satis patere puto, quam parum fundamenti ac præsidii, imo etiam nullum, patronis hujus Etymologiæ, in themate מוש relictum sit. Et denique illud omnino falsum ac fictum pronuncio, quando in כמוש literam כ servilem esse opinantur. Cum, supra, quam dici potest, liquidum sit, uni vocabulo, non nisi unicum assignari posse ac debere Etymon, quale & nomen כמוש esse, infra latius docebitur. Imo, & si vel maxime notio *contractionis* voci כמוש inesset; tum eam ne quidem opus haberemus, ex tali compositione, repetere; cum ejus significationis vestigia adhuc in themate ܟܡܫ כמש apud *Syros*, usitato, supersint. Quod in *Ethpah*: ܐܬܟܡܫ est *contrectatus*,

tus, pugillo apprehensus fuit, ut docet CASTELLUS *Lex. Heptagl.* p. 1749. Hinc ܟܒܘܫܐ *Ephialtes, incubus, suppressio* (plane, ut Arab. كابوس pl. كوابيس *incubus, Ephialtes*, mutato מ in ב, quæ uti literæ unius sint organi, ita & in linguis orient. crebro commutantur,) *nocturna*, & ܟܒܘܫܘܬܐ *Carptura, quæ fit manu.*

§. VII.

Verum enim vero, licet plurimi in hoc Etymo conveniant, in ejus tamen applicatione in diversum abeunt. GOODWINUS Lib. IV. Cap. III. §. 3. ex eo *Deum cæcum* elicit, quasi hæc appellatio, ut conjicit, *Baal-Peori*, per χλευασμὸν data sit, ex *Ps.* CXV. 5. *sunt ipsis oculi, at non vident.* Verum minus concinne. Nam minime existimandum est, nomen כמוש à veri Dei cultoribus, *deastro* huic Moabitarum, inditum; sed potius ab ipsis ejus asseclis, in quorum oculis כמוש minime omnium *Deus cæcus* fuit. Quo observato, sponte quoque ruit derivatio, quam GURTLERUS Lib. I. *Orig. Mundi* Cap. X. §. 7. protulit, quando כמוש vertit *numen flaccidum*, à *Chald.* כמש *marcere, flaccescere.* Unde כָּמוּשׁ *marcidum, flaccidum*; quasi ficti numinis vanitas hoc vocabulo innueretur. *Pet.* autem JURIEU inde sculpsit *Priapum* & *Noam* Lib. IV. Cap. IV. pag. 561. inquiens: כמוש, *ce mot Hebreu signifie manié, ou comme manié*, contrectatus, *c' est ainsi qu'il est interpreté par Philon Juif* ὡς ψηλαφημα. *Certainement cela se rapporte fort bien à Priape*, Pater contrectationum nocturnarum. *Lui-même étoit representé* contrectans membrum suum virile obscœnum læva tenens. *Cela ne tombe pas moins juste sur Noé*, cujus pudenda à Chamo contrectata dicuntur, unde enervatus est, *comme le rapporte le faux Berose, d' Annius de Viterbe.* Verum, quam fluxo hæc omnia nixa sint fundamento, me quoque tacente, unusquisque facile perspiciet, unde istud ostendere, operæ pretium non esse, judico. VOSSIUS denique l. c. traxit ad *contrectationem nocturnam & amatoriam*, ac *lascivam compotationem*, quasi כמוש *contrectationi nocturnæ, & amatoriæ, ac lascivæ compotationi*, quæ eò viam parat, præfuisset, atque adeo כמוש idem esset ac Græcorum Κωμος, Deus commessationum, nocturnarumque saltationum præses; quem accurate satis depinxit PHILOSTRATUS Lib. II. *Icon.* p. 765. qui ita: ὁ κῶμος ἥκει ἐρυθρὸς ὑπὸ οἴνου,

καὶ

και καθευδων ορθος υπο τε μεθυειν. Et Latinorum *Bacchus*. Sed, nec hæc, meo quidem judicio, sunt veritati consentanea, quamvis illa maximorum Virorum, CORN. à LAPIDE, MENOCHII, SANCTII, MALVENDÆ, THOLOSANI, MERCERI, TIRINI, FORSTERI, KIRCHERI, RAVANELLI, aliorumque plurimorum auctoritate suffulciantur. Nullis enim hæc conjectura argumentis, nititur. Nisi huc trahere velis affinitatem literarum כמוש inter & ΚΩΜΟΣ. Verùm, hac ratione φιλολογειν, ludere potius est, & rem Hebræam ceu nasum cereum tractare, quam solidam linguæ hujus sanctæ, scientiam, adferre. Fallit enim sæpe numero affinitas literarum, tum in omnibus, tum præprimis in orientalibus linguis, quarum hæc est natura, ut infinitæ voces, literis sint affines, toto tamen cœlo à se invicem dissidentes. Huc accedit, quod Κωμος Græcorum, ut vult KIPPINGIUS Lib. I. *Antiq. Roman.* Cap. VI. §. 5. multum recentius sit figmentum, ideoque, nec orientis gentibus, nec vetustis temporibus convenit.

§. VIII.

Præ aliis familiam ducit ista opinio, quæ sub כמוש *Saturnum* latere autumat. Hæc patronos præcipue agnoscit *Pet.* ALPHONSUM, KIPPINGIUM, LEUSDENUM, BEYERUM, HOTTINGERUM, qui postremus huic sententiæ ideo quoque triplex accommodavit etymon, in dissert. de *Idolographia* V. T. inserta ejus „ *Primit. Heidelb.* p. 404. Ita enim habet: Patrocinatur I. Etymo„logia, כמוש enim est à verbo כמש id est *abscondit*; unde „ כמוש, כתור sive *Saturnus*, *absconditus*: vel à כמש unde כמוס „ *tetricus*, ἄστεργος (ut Arab. كموس i. q. عبوس) qualis fuit Sa„turnus, qui omnes liberos, præter tres illos πολυθρυλλητους, *Jovem*. „ *Neptunum*, *Plutonem*, devoravit. Vel ab Arab. כמש *properavit*, *ce*„*ler fuit*, ob actionum celeritatem, & excellentiam, qua homi„nes sui temporis ex agresti vita ad humaniorem cultum traduxit. „ A qua Etymologia Arabum זחל *Saturnus* non longe abit, deductum „ à verbo זחל *declinavit*, *recessit*. II. Sacra hujus Idoli, de quibus „ *Maimonid.* כמוש עבודתו בפריעה הראש ושלא ילבש בגד תפור „ ודבריכם כלם מפורשים וידועים אצלם מקודם דת ישמעאליכם „ *Cemosch*; *cultus peragebatur nudatione capitis*, *& ut quis vestes sutiles* „ *non viduat*, *quæ omnia apud illos manifesta sunt*, *& fuerunt ante condi-*

tam

tam legem Ismaelitarum. De hoc vero ritu non est dubitandum. „ Etsi enim ab ipso Saturno lex sit lata, ne quis Deos nudos im- „ pune contempletur, ipsi tamen denudato capite sacra fuerunt, „ soluta. Sed nec hæc sententia veri calculum meretur. Quod enim attinet ad patrocinium in Etymologia positum, illud tam frigidum ac jejunum est, ut nil supra. Hinc quoties istud mecum recolo, quantum quantum illud etiam sit, non possum non hosce irritos conatus repudiare. Cum ne unica quidem radix rite inspecta faveat. Uti autem Etymon obstat, ita quoque minime omnium cultus *Cemoschi* favet. MAIMONIDES enim ibi non loquitur de ejus cultu, qualis olim apud Moabitas, sed, qualis deinceps apud Mohammedanos obtinuit, cum peregrinantes, hocce habitu *Cemoschum* in Mecca Arabiæ urbe, (ut infra latius docebitur), bis in anno, coluerint.

§. IX.

Thomas HYDE, vir inter Philologos sui ævi princeps, aliam insuper ingressus est viam, in *Hist. Relig. Veter. Persar.* Cap. V. p. 131. ubi in transitu insinuat, כמוש esse *culicem*, idemque cum *Beel-Zebub.* Nec mirum est (inquit) de differentia nominis ejusdem „ numinis apud varias gentes, ut scilicet idem fuerit *Anamelech* & „ *Ashteroth*, quæ *Astarte*; cum eodem modo Ammonitarum خموش „ *Chêmosch* seu *Culex* fuerit Ekronitarum בעל־זבוב *Beel-Zebul, do-* „ *minus muscarum*, averruncus, à Judæis per contemptum vocatus „ בעל־זבול *Beel-Zebul, dominus sterconis.* Erat enim magnus qui- „ dam *Culex metallicus* telesmaticè confectus apto tempore, scil. sub „ fausto aspectu Jovis aut Planetæ, cui subsunt muscæ, & ex aptâ „ materiâ cum precibus & proprio suffitu &c. ad infesta musca- „ rum examina arcenda. Igitur *apud populum τȣ̃ Chemosch* & ejus- „ modi alios, hocce Telesma fuit idem quod apud Græcos Ζεὺς Ἀπό- „ μυιος *Jupiter muscarum abactor*, prout illi omnes stulte credebant. „ Verum, nec hæc satisfaciunt; cum probatio hujus rei merito desiderari possit. Quin imo Arabicum istud vocabulum ex *Hudeilitarum* Idiomate *culicem* signans, monente GIGGÆO, scribitur خُمُوشٌ Hebraice חמוש quod à כמוש satis discrepat. Nunquam etenim hæ duæ literæ כ scil. & ח & Arab. ك & خ inter se commutantur.

§. X.

Alii in alio mustaceo laureolam quærentes nostrum כמוש derivant à כמס *recondidit*, *abscondidit*, *occultavit*, literis ש & ס permutatis. Sed, qui in hac Etymologia conveniunt, in ejus tamen applicatione iterum in partes abeunt. Nonnulli ex ea *Plutonem* eliciunt, quoniam, ut fingere non erubescunt, sacra hujus *Cemoschi*, tam impura fuere, ut nonnisi in tenebris obiri potuerint. *Doctiss.* tamen HILLERUS traxit ad talem *occultationem*, qua כמוש se Deo Israëlis æquiparare voluit, in *Onomast. Sacro* p. 390. כמוש (scribens) *idem sonat quod* כמוס *literarum* ש *&* ס *permutatione, nempe occultationem, quo nomine vero Deo se æquiparare voluit Dæmon. Is enim dicitur occultus Deus.* Sed, uti posterius hoc gratis iterum sine ullo idoneo fundamento dicitur, nec significationi vocis כמס & כמש satis convenit, ita prius longissime petitum, nec probatum, cultum *Cemoschi* tam impurum fuisse, ut ille non nisi in tenebris peragi potuerit.

§. XI.

Plurimi denique per כמוש æque ac omnes ferme reliquos Deastros *Solem* intelligunt, ut Cl. FABRICIUS Cap. VIII. *Bibliog. Antiq.* §. 13. Cl VITRINGA Comm. ad *Jes.* XV. p. 604. SCHARBAU *Parerg. Philol. Theol.* P. III. pag. 42. aliique magno numero. Quod Cl. CLERICUS in Comm. ad *Num.* XXI. 29. p. 419. ita insinuare studet, ad Arabismum confugiens, in quo verbum כמש *celerem esse*, exprimit, adeoque כמוש *Solem* indigitat, qui *summa celeritate utrumque hemisphærium peragere videtur.* Viam haud dubie eò paravit KIMCHIUS, quando ad 2. Reg. III. vs. ult. *Solis* cultum Moabitarum regi adsignat. Sic ille: מהם אמרו לע"ז העלה ומפני זה חסר וי"ו החמה כי היה עובר לחמה והעלה את בנו לחמה: Sed huic quoque obstat ratiocinio, *tum*, quod verbum כמש quantum mihi quidem constat, non proprie *celeritatem* talem, qualis in *Sole* existit, utpote re inanimata, significat, sed potius talem, qualem natura rebus animatis, *hominibus*, *equis* &c. tribuit, *tum*, quod hæc Etymologia nimis sit vaga. Si enim ea procederet, quot non darentur in mundo res, quibus illud nomen applicari posset. Imo si quis eadem ratione procedere vellet, annon eodem jure, merito posset concludi, epitheton *celeritatis*, optime quadrare in *Mercurium*,

rium, utpote, qui Deorum nuncius celerrimus, censetur; adeoque כמוש *à celeritate* ita dictum, idem numen esset, quod Romani Veteres *Mercurium* dixere. Quicquid autem ejus rei sit, hypothesin tamen hanc, alba linea signare non solum, sed & insuper post Doct. NEUMANNUM ex literarum ductibus vocabuli כמוש probare voluit P. M. ALBERTUS in *Porta Ling. S.* pag. 538. scribens: *Et si literarum valori inhæremus, corpus aliquod multum & vehementer versatile* כמוש *omnino significat.* Acute, belle, ut nihil supra! Nam, si dicendum quod res est, NEUMANNUS, & qui ejus castra sequuntur, potius hac in re ingenium suum, quam judicium probarunt. Et profecto, si quis hypothesin hanc rite apud animum suum perpendat, inveniet, plurimas notiones, ne dicam omnes, antea jam notas, vocibusque tributas, iterum de novo, ex literarum forma, certis fidiculis, extortas esse. Accedit, quod, nisi certior in literatura Hebraica, lux esset, profecto nasus cereus inter cujuslibet manus, Hebræa lingua evaderet, & fingere ex ea liceret, quicquid libuerit.

§. XII.

Ex his itaque, modo Etymologia כמוש *Cemoschi* nostri ritè inspiciatur liquido patebit, desperatam omnino *Solis*, in eadem esse causam, eamque adeo levi aleæ insistere, ut nihil supra. Instat tamen adhuc *Vir seculi sui Decus* CAMP. VITRINCA Comment. in *Jes.* Cap. XV. p. 463. quando cultum *Solis*, in *Cemoscho nostro*, variis ratiociniis, insuper probare tentavit. Ut autem id pateat, observari in genere velim, illum omnino affirmare, per duo illa numina *Melcom* scilicet & *Baal-Pehor*, nihil aliud designatum, quam communissimum orientis numen, puta *Solem*. Quæ utraque, quum cum *Cemoscho* unum idemque effecerint idolum, patere, *Solem* quoque in *Cemoscho* nostro cultum fuisse. Hoc monstrare ex eo vult, quoniam *Ammonitæ*, gens contermina *Moabitis*, atque ejusdem originis, *Solem* coluerunt in *Molech* suo sive *Melcom*, qui cum *Cemoscho* Moabitarum eodem ordine censetur. 1. Reg. XI. 33. Sed, ego non video, quid sufflamen injiciat, quo minus asseram, credam, profitear, *Ammonitas* præter ordinarium suum *Milcom* & *Moabitas* præter suum *Baal-Pehor*, etiam adhuc alium quendam, eumque toto cœlo ab hisce diversum, *Cemoschum* scilicet, religiosissimo cultu veneratos

tos fuisse. Et si vel maxime ambabus manibus concederem per Idolum *Milcom* & *Baal-Pehor*, *Solem* repræsentatum fuisse, quod tamen nullo argumento constat, inde tamen liquere nego, *Cemoschum* nostrum, quoque nihil aliud, quam *Solem* fuisse. Neque pro *Sole* militat locus 1. *Reg.* XI. 33. ad quem Cl. *Vitringa* provocat, ubi *Cemosch* in eodem ordine cum *Milcom* censetur. Si enim id procederet, annon eodem jure de Idolo עשתרת Sidoniorum, quod eodem quoque ibidem ordine numeratur, idem cum *Cemosch*, & *Milcom* fuisse affirmare integrum esset. Fallor, aut hic ipse locus *Cemoschum* & *Milcom* tanquam duo diversa numina considerat. Deus quippe *ibid.* populo suo ob oculos ponit, varias illas Idololatriæ species, quibus semet ipsum contaminasse, legimus. Et nisi res sic sese haberet, tum nulla illius expressionis ratio dari posset. Quo observato, sponte quoque ruit alterum argumentum ex *Jud.* XI. 24. petitum, ex quo itidem apparere *Vir Doctiss.* dicit, *Cemoschum* & *Milcom*, unum idemque extitisse Idolum. Idem porro ex eo *Cl. Vir* deducit, quoniam HERODOTUS docet, Incolas Arabiæ, quibus *Ammonitæ* & *Moabitæ* annumerantur, duplex coluisse numen Διονυσον Θεον μȣνον καὶ την Ουρανιην; Διονυσȣ autem Ουροταλ *Ourotal* appellatum, cujus compositæ vocis pars nomen אור sit, quod *ignem* sive *lucem* notat, quodque *Solis* proprium, quodque adeo *Ourotal* idem cum *sole* sit. Sed, quæso, quorsum tum ultima vocis pars ταλ *tal* exiret. Forsan à תלה *suspendit* est, quasi dicas, *lux suspensa*. Sed, nec hæc, hypothesin hanc mihi probabilem reddunt. Quoties enim mecum recolo, Διονυσον proprium vocabulum *Bacchi* esse, non possum non, quin etiam Idolum Ουρεταλ per Διονυσον explicatum, credam, *Bacchum* quoque exprimere. Nam *Arabum* ערטל est *obesus*, & ערטויל *Juvenis decorus*, nec non *Syrorum* ערטיל *nudus*. Quæ omnia *Baccho* non male convenire, quippe, qui *obesus*, *decorus* & *nudus* describitur, recte pronunciat *maximus Virorum* SAM. BOCHARTUS Lib. II. *Geogr. Sac.* Cap. XX. p. 111. Quamvis & alias derivationes itidem satis congruas in scenam producere si vellem, promptum mihi foret. In quem tamen campum me immittere, jam non sustineo. Interim tamen negare nolo, incolas Arabiæ, præter innumera alia, *Solem* quoque religiosissimo coluisse ritu; Hæc enim res non minus notissima, quam certissima est. Verum

inde

inde tamen non ſequitur, *Moabitas* & *Ammonitas*, etiam ſub *Cemoſcho ſuo*, *Solem* agnoviſſe. Et denique illud quoque adhuc altioris eſt indaginis, an HERODOTUS præciſe hos duos populos ſimul ſub appellatione *incolarum Arabiæ* comprehenderit. Cum potius crediderim, illos quammaxime ab Arabibus diſtinctos fuiſſe; quippe, qui, uti ab his diverſi, ita quoque in veterum ſcriptis crebro, quin imo ſemper, diſtinguuntur.

§. XIII.

Recenſitis itaque ac deſtructis quantumpote aliorum de noſtro *Cemoſch* opinionibus; nunc quoque, quæ nobis de eo ſedeat ſententia, erit promendum. Exiſtimamus itaque per כמוש indicatum fuiſſe, celeberrimum illud belli numen, quod LUCIANUS τὸν πολεμικώτατον τῶν Θεῶν & ROMA vetus MARTEM vocavit; atque ita à *ſtrenuitate*, *fortitudine*, ac *celeritate* illud ſic appellatum, autumamus. Quod ut pateat, obſervari in genere velim, verbum כָּמַשׁ quod apud Hebræos, fatis rapientibus, exſtinctum, hodiedum lætiſſime apud Arabes, qui omnem opulentiam ac amplitudinem Reginæ matris Hebrææ Linguæ conſervarunt, florere, ſub literis radicalibus كَمَشَ unde כמוש plane uti פְּעוֹר à פָּעַר, צִפּוֹן à צָפַן prognatum. Nam omnes nodi & ſalebræ, quibus ſinguli undique ſe teneri ſentiunt, nunquam, ſi quid video, expediri poterunt, niſi præſentiſſimum illud, quod Arabia fert, auxilium, aſſumatur. Cujus tamen Radicis notiones apud *magnum* GOLIUM *Lex. Arab.* p. 2064. ita implicitæ ſunt & commixtæ, ut juſto filo vix evolvi queant, & tenebræ inde haud dubie viris doctiſſimis offuſæ, quominus τῷ noſtro כמוש inde priſtinum ſplendorem reſtituere aggreſſi ſint. Sic enim enarrantur. In *Conj.* I. كمش *Act.* كماشة *properus fuit vir ac celer. abſumtus fuit* commeatus. *Extrema amputavit*, *truncavit enſe*. In *Conj.* II. كمّش præter has duas ultimas notiones ineſſe dicitur poteſtas *vehementius propellendi.* In *Conj.* IV. اكمش *ad ubera* vel *papillas ligavit* camelam. Et in *Conj.* V. تكمش *contracta & corrugata fuit* pellis. Subjunguntur deinceps propagines كَمْشٌ itemque كَمِيشٌ *celer & properans*,

penetransque vir, & *parvo veretro* equus, item *parva ubera habens* equa. كوش & كشة *breves papillas* & *parva ubera habens* ovis, & اكتش i. q. اكنس qui *vix cernere potest, brevipes*. Atque hunc eundem quoque ordinem presso pede sequitur Vir πολύγλωττος CASTELLUS *Lexic. Heptagl.* pag. 1749. nisi quod *Conj.* V. تكش notionem *coalescendi, se contrahendi & recipiendi*, nec non propagines كشة *festinatio, celeritas* & منكش *contractus, se recipiens*, ex penu suo addat.

§. XIV.

Habes itaque heîc B L. vagam quandam & confusam notionum dissonantium multitudinem, sub unica radice nostra كش inter Arabas regnantem. Quarum tamen plurimæ facili negotio in concordiam redigi possunt, modo unius propriæ & primigeniæ significationis illius fons, unde illæ promanarunt, bene sit introspectus. Certissimum enim est, frustra semet acutissima exercere ingenia, in dissidentibus notionibus conciliandis, quamdiu earum stirps & nativa indoles in obscuro est. Quam ego autem pono, auctoritate Criticorum Arabicorum, in Latinorum *stringendo, cingendo, accingendo se* ad bellum. Hinc apud *Ant.* GIGGÆUM est رجل كميش الازار רגל כמיש אלאזאר *Vir perizomate indutus*, vel potius *cinctus, accinctus*.

Secundaria, quæ hinc succrevit notio, *strenuitatem*, ac *celeritatem* adfert; ansa, ut puto, sumta, à locutione, qua *cinctus, accinctus*, pro *strenuo* ac *forti viro* in bello ponitur. Qui enim ad pugnam parati, & martem ciere gestientes *præcincti* erant. Quapropter Judæos dimicaturos hortatur Judas, ut se *accingant*, parentque ad bellum. 1. *Maccab.* III. 58. Unde *militiæ cingulum dare* est jus dare militandi apud Auctores. Cum contra *discinctus* pro *imbelli, inhabilique* ad militiam reperitur. SERVIUS vetus Scholiastes ad illud VIII. *Æneid. Virgil.*

—— —— *discinctos mulciber Afros.*

discinctos, dicit, *inhabiles militiæ. Nam omnes qui militant, cincti sunt.* Et ACRON ad *Horat.* in arte:

—— —— *cinctutis non exaudita Cethegis.*

Cinctutis (inquit) *antique dixit*, id est, *militaribus viris*, & *ad militiam* para-

paratis. *Unde per contrarium dixit Poëta:*

—— —— *discinctos Mulciber Afros.*

A *cingendo* promanavit porro potestas *Celeritatis, promtitudinis.* Nam omnes, qui *gnaviter*, *promte*, *expedite* ac *celeriter* opus aliquod olim aggressuri erant, vestes non solum alioqui fluxas cingulo cingebant, sed & corpus ipsum aliquatenus constringebant. Unde *Zona* & *Cingulum* in variis linguis à *stringendo* nomen suum habet. Hinc, qui tali habitu induti, *præcincti* veteribus audiunt. HORATIUS 1. Satyr. V.

Hoc iter ignavi divisimus altius ac nos
Præcinctis — — — h. e. expeditioribus. Sic olim *iter facturi*, cincti erant, ut ostendit OUZELIUS ad *Minuc. Felic. Octav.* p. 189. Eadem potestate auctum est Arabum كمهل *collegit*, *cinxit vestes. Accinxit se ad iter.* Nec non وفز *properare fecit.* Cujus *Conj.* V. توفز dat: *se accinxit & festinavit*, & *Conj.* X. استوفز *ita paratus & expeditus occasionem* faciendi quid *observavit*, & *captavit.* Imo etiam شمل *continuit*, *cinxit* & *circumdedit.* *Conj.* II. شمّل *expedivit se*, & *succinctus in opere festinavit.* Hinc شملة, شمال, شمليل *leniter incedens & agilis* Camela. Et شملل *Celer*, *promptus & expeditus fuit.* Quapropter *Mercurius*, Deorum nuncius, & quasi semper ad iter *paratus*, *succinctus*, *præcinctus* depingitur. Qui habitus quoque *venatorius* appellatur; quoniam *venatores* eo utebantur, ut tanto agilius, celeriusque per obliqua montium devexa, saxis undique cincta ac cava convallium lacunosa, vagari possent. Quomodo *Diana* propter venandi studium *succincta* fingitur. Vid *Interpretes* ad *Minuc. Fel. Octav.* p. 188. MEURSIUS, WOWERUS, ELMENHORSTIUS. Idem adhuc observare licet in *medicis*, qui, ne in artis suæ exercitio impedirentur, opus aggressuri, *cinctura* utebantur. Quam *cincturam* veteres eapropter *habitum medici*, dixere. conf. *Notæ Erudit.* ad ALBINOV. Eleg. II. vs. 22. p. 114. sq. Quin imo hanc ob causam *Sacerdotes*, *Popæ* aliique in templo divinoque cultu, ministrantes, *cincti* erant. Quo & commode referuntur celeberrimi illi orientis *magi igniculi*, qui à *certo cinguli genere*, quod ut sacratissimum totius religionis suæ Symbolum gerebant, quo semper

per in opere ſuo conſtricti, כמרים appellati, quod docte, ut ſolet *Reverendus Præceptor noſter* Πολυμαθέστατος Cl. IKENIUS diſſert. ſing. demonſtratum ivit. Mirum autem nemini eſſe debet, quod illi qui ita *præcincti, celeres & ſtrenui, & qui agiles pedibus & animoſi ſunt*, ſub una eademque radice hic contineantur. Obtinet enim iſtud in plurimis aliis. Sic thema شجع *ſtrenuus, animoſus fuit. Conj. V.* تشجع *ſtrenuitatem præ ſe tulit.* Hinc derivata شُجَّع *velocitas pedum ac glomeratio.* شُجَع *agilis pedibusque vir.* شجعة *agilitas*, & شجاعة *ſtrenuitas.* Sic thema ضبط *firmiter conſtrinxit, continuit.* Unde promanavit ضابط *firmiter continens*, & ضابط الكل παντοκράτωρ, *omnipotens, Deus.* Nec non ضبنطي *validus, robuſtus.* اضبط *Leo.*

§. XV.

Paulo abſtruſior videtur altera metaphora in *Conj.* IV. كامش notione *ligandi ubera & papillas* Camelorum, vel potius *ſtringendi ubera* Camelorum *mulgendi ergo*, reſidens. At vero, meo quidem judicio à primigenia poteſtate *ſtringendi, cingendique* ſatis commode illa deduci poteſt. Quippe *ſtringere* non tantum eſt *exprimere*, ſed & *comprimere*, quod fit, *fortius religando*, ac veluti *nervo circumducto firmiter vinciendo, arctiusque ſtringendo premere*, ad *lac copioſius emulgendum & extorquendum.* Plane, uti Radix مري in origine eſt, *ſtrinxit ubera, & vehementius, arctiusque ſtringendo preſſa, emulſit*; unde apud GOLIUM: مري *mulſit, ubera ſtrinxit mulgendi ergo*, ducta nimirum ſimilitudine à *Camela*, quæ *ſtricto ubere lac radiatim emittit*, qualis Arabibus vocatur مَرِيّ & مُرِيّ *Camela lacte abundans.* Cujus locutionis plurima ſimilia exempla producere ſi vellem, in proclivi foret. Hoc tantum inſuper moneo, ab hac *ſtringendi* poteſtate, alio quoque canali deducta *Conj.* V. تكمش *contracta, & corrugata fuit pellis*, nec non vis *coaleſcendi, ſe contrahendi & recipiendi.* Quod monuiſſe ſat eſt.

§. XVI.

His breviter repulſis, gradum nunc ad MARTEM faciam, oſtenſurus, quam belle primigenia notio thematis noſtri كمش in

in eum, tanquam *ſtrenuum* non minus, quam *celerem* Deum, quadret. Quò igitur denominationis hujus ratio propius ſe omnium oculis ingerat, tenendum, atque in memoriam revocandum, verbum كمش nonſolum *Summam celeritatem* ac *promptitudinem*, ſed & *omnem ſtrenuitatem* ac *fortitudinem*, quarum rerum uſus præcipue in bello eſt, exprimere. Quam belle hæc omnia in *Martem* belli Deum quadrent, neminem latere poteſt. Nonſolum enim ille in quibusdam Nummis, *feſtinante* ac *celeri* quaſi *gradu*, ſe conſpiciendum præbet, ut ex NORISIO diſſ. V. de *Epocha Syro-maced.* p. 534. & GORLÆO T. I. *Dactyol.* num. 17. apud GUTBERLETUM in libro de *Saliis* Cap. IV. p. 19. & 20. videre eſt. Sed & præcipue tanquam *fortis* ac *ſtrenuus* a Poëtis ſolet deſcribi. Hinc & ipſum *martis* nomen pro *forti* & *ſtrenuo viro* in bellis ſumitur, ut adnotat Cl. DRAKENBORGIUS ad *Sil. Ital.* Lib. IX. *Punic.* v. 136. Quod egregie cum ipſo *martis* etymo convenire videtur. Non autem approbo derivationem *Matth.* MARTINII in *Lex. Etym.* qui deducit à *Chald.* מרס *contundere, atterere, conterere, comprimere.* Nec laudo Etymologiam Cl. PERIZONII, quam protulit in not. ad *Ælian.* L. IX. Cap. XVI. Cui *Mars* eſt Hebræorum מעריץ *qui violenter agit.* עריץ enim *violentum, terribilem, tyrannum* notat. Cum prius longius petitum, poſterius autem rationi Etymologiæ, repugnet. Sed potius (ſi ejus poteſtas ex oriente ſumenda) derivaverim ab Arab. مرس cujus propria & genuina proprietas in *ſubigendo* ſita eſt; unde deinceps translatum ad *robur*, & *fortitudinem*, veluti in omnibus linguis, verba *ſubigendi, depſendi* & ſimilia ad *potentiam* & *conflictationem* transferuntur. Hinc مرس in *Conj.* III. ſignat مارس *pugnavit valide, conflictatus eſt.* Inde promanavit مرّس *qui valide conflictatur.* مراس & مراسة *robur.* مراس *robuſtus & vehemens* admiſſarius, nec non مريس *Leo.* Non multum hinc abludit ipſum *Martis* ſimulacrum, cujus deſcriptionem nobis exhibuerunt ALBRICUS de *Deor. Imag.* L. III. PICTOR. VILL *Theol. mythol.* p. 26. Inde occurrunt varia numiſmata, in quibus itidem *Mars* tanquam *victorem, propugnatorem, ultorem* &c. ſe repræſentat apud GULIEL. *du* CHOUL in *Vet. Romanor. Relig.* p. 184. & 185.

C §. XVII.

§. XVII.

Bellica hæc *Martis* ſtrenuitas ac vis perpetuum apud Poëtas hujus Dei epitheton eſt. Hinc *Sævus* audit CORN. SEVERO de *Ætna* v. 60. *Jam mars SÆVUS erat.* Et VALER. FLACCO L. VI. *Argon.* v. 28.

——— ——— Mars SÆVUS ab altis
Hoſtis Io, conclamat, equis, agite, ite propinquat.

Cujus *Sævitatis* veſtigia quoque adhuc in noſtro كبش aliqua ſuperſunt. Hinc etiam *Mavors* appellatur, apud VIRGILIUM:

——— ——— An tibi mavors
Ventoſa in lingua, pedibusque fugacibus iſtis,
Semper erit — — & ALBINOV. Eleg. I. v. 231.

Appellatione ſumta, vel quod *mares voret*, juxta ALBRICUM, vel quod *magna vortat*, ut vult CICERO L. II. de *Nat. Deor.* Cui concinit *Jul. FIRMICUS* de *Error. Prof. Relig.* p. 35. *Ex bellorum caſibus mavors nomen accepit, quaſi magna vertat.* Quin imo egregium ejus vocabulum eſt GRADIVUS apud SIL. ITAL. L. XI. v. 682. ALBINOV. Eleg. I. 23. VALER. FLACCUM L. III. Argon. 498. L. IV. 281. L. V. 618. L. VI. 1. Huic quoque *marti gradivo* inſcriptio Sacra eſt apud REINESIUM Cl. I. *Syntag.* num. 270 Plus autem hæc appellatio in receſſu habet, quam quidem prima fronte apparet. GORALLUS (*Clericus*) in not. ad *Albin.* l. c. p. 7. exiſtimat, *gradi* olim in Caſcorum latinorum ſermone ſignificaſſe idem ac *graſſari* i. e. *latrocinium exercere*, quod latrones ſeu graſſatores huc illuc gradiantur, ut inveniant, quem ſpoliant, quod milites facere ſolent. Simpliciſſimum tamen videtur deducere cum FESTO & SERVIO à *gradiendo*, greſſibus ſc. majoribus & diductioribus, quod *gradum inferant*, qui pugnant, aut *impigre*, aut *huc illuc gradiantur.* Eodem plane uſu quoque Hebræorum צער de *inceſſibus* ſc. *majoribus & diductioribus paſſibus*, tam in *via*, quam in *adſcenſione* per gradus in plerisque locis optime poteſt intelligi. Atque tum ex eo illuſtrandus eſt locus Job. XVIII. 14. תצעדהו למלך בלהות Ubi vulgo datur: *facient eum gradi ad regem terrorum*, i. e. mortem. Nec aliter STOCKIUS. JUNIUS autem & TREMELLIUS reddunt: *Adigit eum* terror *ad regem terrorum* Sed genius linguæ potius poſtulat: *gradietur* i. e. *gradientur* & magno paſſu impetuq; invadent *in illum inſtar*

Regis,

Regis, *terrores*. Poëtice ſcil. *terrores* comparantur cum *exercitu* & cum *perſona Regis potentiſſimi*, cujus impetum & aciem nil poſſit retundere; uti in libro *Jobi* alibi expreſſum eſt: *Terrores eum invadent, ut exercitus armatus.* Hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Nunc in viam.

§. XVIII.

Nominis Etymon & ſignificationem in *Cemoſchum* noſtrum S. *Martem* ſatis quodrare, jam viſum eſt. Nunc quoque rem ipſam non minus eidem convenire, paucis oſtendendum. Inter Deos illos, quorum Imagines ſuperſtitioſa coluit antiquitas, non ultimum locum tenuiſſe *martem*, omni caret dubio. Res notiſſima eſt de *Thracibus*, quos *bellicoſos* homines fuiſſe, FLORUS commemorat; quare illis, ut peculiare Numen aſſignatum *Martem* ex *Jul. MODESTO* de *vocab. rei milit.* docet BARTHIUS Lib. XXVII. *Adverſ* L. XXVII. Cap. XII. Quod calculo HERODOTI L. V. C. VII. confirmatur: Θεȣς inquit, δε σεβονται μȣνȣς τȣσδε, Ἄρεα, και Διονυσον και Ἀρτεμιν. Hinc *Mars Thracius* audit ARNOBIO L. IV. & MINUCIO FELICI in *Octav.* p. 235. Atque idcirco *Thraciam* ſedem *Martis* nuncupat STATIUS *Thebaid.* L. III. 93. Præcipue autem *ille* adoratus fuit in ea *Thraciæ* urbe, cui nomen *Creſtone*. Quapropter LYCOPHRON eum κρηςωνης Θεον appellat in *Caſſand.* v. 957. Ad quem locum interpretes MEURSIUS & POTTERUS conſulendi, nec non SCHEDIUS de *Diis Germ.* C. IV. p. 91. OUZELIUS ad *Min. Felic.* p. 235. & CLERICUS ad *Heſiod.* Θεογον. v. 922.

Palmyrenſes Deum belli *Martem* quoque religioſiſſimo coluiſſe cultu, neminem facile negare poſſe, affirmat Cl. BRAUNIUS *Select. Sacr.* p. 792. cum *fortes*, *ſtrenuique* fuerint bellatores, *Trebellio Pollione*, *Vopiſco*, *Zoſimo*, aliisque teſtantibus.

Apud *Eemeſenos* eum quoque in magna veneratione fuiſſe, nomenque habuiſſe αζιζον ab Hebr. עז *fortis*, quod *ſit Deus fortiſſimus*, teſtatur Cl. L' MOYNE *Varior. Sacr.* p. 654. Qua appellatione quoque nonſolum eundem apud JULIANUM APOSTATAM in *Hymn.* ad *Solem*, nobilitatum, ſed & à vetuſtiſſimis jam ſeculis apud *Edeſſam*, venerationi fuiſſe, relatum legimus. Non improbamus quidem Etymologiam vocis Αζιζος à *Doctiſſ. viro* productam; majorem tamen, imo firmiorem, ex divite *Arabum* penu, afferre potuiſſe lucem, perſuaſus ſum. Quippe αζιζος nihil aliud videtur eſſe,

quam ipsum Arab. عزيز *eximius & potens vir*, à *Th.* عز *potens, magnusque fuit, corroboravit, vicit eum, vehemens, durus, gravis fuit. Conj.* IV. *valore & potentia corroboravit. Conj.* VIII. *prævaluit, præpolluit.* Hinc & ipsum عزيز inter Dei ipsius nomina relatum, habemus, quoniam, is est, ut EBNOL ATHIR testatur الغالب القوي الذي لا يغلب *qui omnes potentia superat, nec à quoquam superatur.* Et BEIDAVI ad *Alcoran.* citante *Doct.* HOTTINGERO diss. de *Nomin. Dei Orient.* ins. ejus *fasc. Diss. Th. Phil.* p. 291. الله عزيز لا يعجز عن الانتقام *Deus* עזיז *potens, cui non deest ratio vindicandi.* Eodem nomine ferme العزي sc. colebatur idolum in tribubus *Koraisch* & *Bani Cananah*, referente JAUHARIO. Cui itidem a *potentia* & *robore*, nomen esse inditum, probat Cl. POCOKIUS in not. ad ABUL-FARAJIUM pag. 91.

Quanti *Martem* fecerint *Accitani*, gens Hispanica, *Neton* eum vocantes, cum ejus simulacrum radiis ornatum, erexere, memoriæ tradidit MACROBIUS Lib. I. *Saturn.* Cap. XIX. pag. 203. & ex eo *Ill.* CUPERUS in *Harpocrate* pag. 14.

Nec minus *Martem* pro belli Deo agnoverunt *Assyrii*, qui ipsum inhabitarunt orientem. Locus quidam hanc in rem à SELDENO adducitur *Synt.* II. Cap. I. pag. 121. ex CEDRENO, qui ita loquitur: τούτῳ τῷ Ἄρει πρώτην στήλην ἀνέστησαν οἱ Ἀσσύριοι, καὶ ὡς Θεὸν προσκυνοῦσι, Βάαλ ὀνομάζοντες, ὃ ἑρμηνεύεται Ἄρης πολέμων Θεός.

Possem hîc plura de *Martis* cultu apud alios quoque populos congerere. *Coptitas* eum coluisse KIRCHERUS in *Prod. Copt.* Cap. V. auctor est. De cultu ejus apud *Romanos* & *Græcos* pleni sunt omnes *Mythographi.* Quanti ipsum *Germani* nostri fecerint, si non aliunde, saltem ex variorum oppidorum, v. g. *Marburgi, Merseburgi* aliorumque nominibus fuse posset adstrui. Verum cum istud nimis diu nos distineret, hinc campum istum jam non ingredimur.

§. XIX.

Hæc omnia, quæ hactenus disputata sunt, si quis attente secum perpenderit, non dubito, quin mecum facile agniturus siet, non solum ipsum Deastri hujus nomen כמוש *fortem illum* ac *strenuum belli præsidem, Martem* puta, denotare posse, sed & tale Idolum

lum in plerisque orbis terrarum locis, præcipue apud eos, qui *strenui* & *bellicosi* præ aliis audire volebant, maxima veneratione affe-ctum fuisse; atque adeo numen hoc non amplius adeo incertum atque explicatu difficile esse, uti hactenus quidem fuit creditum. At vero, inquies, licet *Mars* apud plerosque populos, summo in honore fuerit, exinde tamen non sequi, eundem quoque à *Moabitis* & *Ammonitis* sub nomine *Cemoschi*, cultum fuisse. Verùm in eo quemvis facile mecum habebo consentientem, modo secum paulisper reputaverit apud *Ammonitas* & *Moabitas* tanquam potentes ac strenuos populos *artem bellicam* maxime viguisse. Id enim uti ubique fere sacræ clamant pandectæ, præcipue quoad *Moabitas* Jerem. XLVIII. 14, 15, 45. ita dubitandum non est, illos quoque, aliquem Deorum *belli præsidem* sibi finxisse, ac divino honore prosequutos fuisse, cui sese subjicerent, & rebus angustis, discriminéque rerum eum invocarent, aliquaque oblatione eundem sibi propitium redderent ad opem auxiliumque ferendum. Hinc saltim ratio percommode reddi potest, cur *Mesa* Moabitarum Rex illud atrocissimum perpetraverit facinus, quo pretiosissimum, quod possidebat pignus, filium, puta, primogenitum & imperii hæredem peremisse, eundemque supra muris, omni inspectante populo, in holocaustum immolasse legitur, 2. *Reg.* III. 27. Non moror hic omnes Interpretes, qui anxie solent inquirere, in cujus Dei honorem istud facinus sit institutum, dum quidam istud לשם שמים quidam לשם עבודה זרה tribuunt, quorum nomina collegit HAGERUS diss. sing. de *Abom. Moabi Sacrif.* p. 15. & 16. Transigant ipsi istud inter se. Ego persuasissimus sum, facinus istud perpetratum in honorem *Cemoschi* fuisse, quod, uti *belli Deum* Rex Moabitarum adorabat, ita hanc oblationem procul dubio quoque eum in finem instituerit, ut illum, *tum* sibi, *tum* universo populo, in ultimo vitæ rerumque discrimine, constituto, redderet propitium. Ad minimum ritus hic ἀνθρωποθυσίας à cultu *Martis* apud varias gentes minime omnium abludit. *Lacedæmonios* certe, ceu gentem bellicosissimam in honorem *Martis*, ut sc. faventem sibi in bello haberent, hominem immolare solitos fuisse, constat. Sic PORPHYRIUS ex *Apollodoro*, de *Abstin.* Lib. II. apud MEURSIUM *Miscell. Lacon.* Lib. II. Cap. 14. pag. 162. Καὶ Λακεδαιμονίους φησὶν ὁ Ἀπολλόδωρος

 τῷ

τω Αρει θυειν ἀνθρωπον. Et ex eo THEODORETUS *Theraph.* L. VII. Και Λακεδαιμονιυς δε φησιν (ὁ Πορφυριος) τω Αρει θυειν ἀνθρωπον. De *Græcis* idem teſtatur PLUTARCHUS in *Hiſtor.* ex *Porphyrio* Lib. II. Κοινως παντας τυς Ελληνας πρειν, επι τυς πολεμιυς εξιεναι ἀνθρωπον ϑυειν. *Thebanis* ſimiliter TIRESIAS victoriam hac demum ſub conditione, promittit; ἐαν Μενοικευς ὁ Κρεοντος Αρει σφαγιον ἀυτον ἐπιδω; *ſi Menoiceus Creontis F. MARTI ſe dedat victimam.* Quem immolandi ritum, canam quoque ſapere antiquitatem PHILO BYBLIUS in *Phœn. Hiſt.* apud *Euſebium Præp. Evangel.* IV. 16. diſerte affirmat: ἐθος, inquiens, ἠν τοις παλαιοις ἐν ταις μεγαλοις συμφοραις των κινδυνων, ἀντι της παντων φθορας, τον ἠγαπημενον των τεκνων τυς κρατυντας ἠ πολεως ἠ ἐθνυς εις σφαγην ἐπιδιδοναι, λυτρον τοις τιμωροις Δαιμοσι. Cætera, quæ de ἀνθρωποθυσια in *Martis* honorem facta dicenda forent, integris libris proſecuti ſunt alii, quorum catalogum exhibet *Hamburgenſium Polyhiſtor FABRICIUS* in *Bibliog. Antiquar.* Cap. XI. §. III.

§. XX.

Poſſem hic pedem figere, & tractationi meæ coronidem imponere, ſed quoniam deprehendi, כמוש inſuper quoque apud *Muhammedanos* non ſolum, ſed &, multis retro ſeculis jam apud ipſos *Arabes*, religioſiſſimo cultu adoratum fuiſſe; hinc juvat & illud copioſiori exponere luci, & nonnulla propiori examini ſubjicere Huncce itaque, de quo loquor, *Cemoſchi* cultum habemus apud MAIMONIDEM in Epiſt. *ad Proſelyt. Religioſum:* באמת שהיה לישמעאלים מקורם באותם המקומות שלשה מיני עבודה זרה פעור ומרקלים וכמוש והם עצמם מורים בדברים אלו וקוראים להם שמות בלשון ערבי *Certum eſt* (inquit) *fuiſſe Iſmaelitis olim iſtis in locis tres cultus Idololatrici ſpecies, ſcilicet Peor, Mercurium & CEMOSCH, quæ ipſi etiamnum confitentur, & nominibus in lingua Arabica* (notis) *appellant.* Jungo huic BERNHARD. *de* BREIDENBACH ex *Petro Alphonſo* idem narrantem: *Duo filii Loth*, ait, *Ammon & Moab hanc domum* (Meccanam) *honorabant, ibique duo colebant Idola,* unum*

* Notamus hic ἀβλεψιαν *Cel.* HOTTINGERI in *Hiſtor. Orient.* Cap. VII. pag. 232. quando conjicit, BREIDENBACHIUM heîc loquutum de duobus illis Arabum Idolis أساف *Aſaf* ſcilicet & نايلة *Nayla*; quorum *illud* من أهل الجاهلية *à populo in gentiliſſimo*, id eſt, ante Mohammedis tempora, *verſante* in صفا *Sapha*;

unum ex albo factum lapide in honorem Saturni, alterum ex nigro, quod CAMOS *appellabant.* Et paucis interjectis addit: *Arabes quoque cum Ammonitis & Moabitis hæc Idola adorabant.* Coincidit expositio PESICTÆ fol. 56. 2. *Cemosch lapis erat niger. Colitur Meccæ ab Ismaelitis*, referente DRUSIO ad *Num.* XXI. 29. Ex his igitur nemini non satis superque, ut puto, patet, Arabes *Cemoschum* sub figura LAPIDIS NIGRI, qui illis حجر اسود audit, religiosissimo cultu veneratos fuisse. Atque hinc est, cur SUIDAS in v. Θεὸς Ἄρης narrat, Arabes *lapidem nigrum* pro *Marte* coluisse. Verba ejus sunt: Θεὸς Ἄρης * τουτ᾽ ἔστι Θεὸς ἄρης· ἐν πέτρᾳ τῆς Ἀραβίας, σέβεται δὲ

Sapha; hoc super مروة *Mervah* collocatum fuerit. Hæc enim Idola non solum maximopere ab hisce diversa fuerunt; sed & loca, in quibus utrumque cultum legitur, minime conveniunt, uti de nostro *Cemoscho* mox docebitur. Juvat de hisce duobus Idolis Cl. GOLIUM differentem audire. Is in *Lex. Arab.* pag. 101. ita habet: اساف „ nomen Idoli, quod sacrum fuit Arabibus Coreixitis. Hoc super monte مروة „ *Marva*, urbi Meccanæ proximo collocaverat Amrus Ibn Lahis. Simileque Idolum nomine نايلة *Naila* imposuerat vicino monti صفا *Sapha*: atque ad illa „ duo Idola mactabat, quæ in Caba, templo Meccano, offerre vellet. Alii tradunt, „ utriusque nominis Virum & fœminam fuisse à tribu جرهم *Giurhem*, illum filium „ Amri, hanc filiam Mehli, qui ob commissum in Caba adulterium in petras con- „ versi fuerunt, quas postea sacro cultu & religione coluerunt Coraeixitæ. Huc „ accedit, quod duo illa idola, de quibus BREIDENBACHIUS loquitur, etiam multo annorum spacio post *Mohammedem* culta fuerint, cum tamen hæc sub *Mohammede*, ipso novæ Sectæ conditore, jam abolita fuisse afferat ALSCHARESTANIUS, citante *Doct.* POCOCKIO in *Specim. Histor. Arab.* pag. 99.

* Novi equidem, plurimos, ne dicam omnes, etiam doctissimos Viros, BOCHARTUM, POCOCKIUM, SELDENUM, HOTTINGERUM, NICOLAUM, CUPERUM aliosque huncce *lapidem nigrum* ita accepisse, quasi *Bacchus* sub eodem cultus, quem aliâs δυσαρηι vel δυσαρην appellatum, volunt, ut ex ISIDORO diserte notat HESYCHIUS. Verum, si ex Etymologia ipsius vocis δυσαρης argumentandum, non video, quid sufflamen injiciat, quo minus *ipsum* pro MARTE, *belli Deo*, cultum fuisse, credam. Quamvis derivationem ipsius SUIDÆ cum BOCHARTO aliisque ut ridiculam rejecerim; cum ex Græco sermone petendæ non sint Arabicarum vocum originationes. Quod si vocem δυσαρης præfracte compositam urgeas, tum radicem statuerim شري quæ notat *rei alicui instare* & *strenue* agere, ut EBNOL ATHIR auctor est. Inde apud GOLIUM in *Conj.* III. شارب *est contendit, rixatus fuit*, & *Conj.* VI. تشاري *succensuerunt invicem*; præposita

δε Θεος ἄρης παρ' ἀυτοις. Τουτῳ γαρ μαλιστα τιμωσι. το δε ἄγαλμα, λιθος ἐστι μελας τετραγωνος, ἀτυπωτος. ὕψος ποδων δ' ἐυρος δυο. ἀνακειται δε ἐπι βασεως χρυσηλατου. τουτῳ θυουσι, και το ἀιμα ἱερειων προχεουσι, και τουτο ἐστιν ἀυτοις ἡ σπονδη. ὁ δε οικος ἅπας ἔστι πολυχρυσος, και αναθημασι πολλα. Eundem lapidem quoque indigitat ARNOBIUS *adv. Gentes* Lib. VI. p. 196. *Ridetis temporibus priscis Persas fluvios coluisse, memorialia ut indicant scripta, INFORMEM ARABES LAPIDEM, acinacem Scythiæ nationes:* Nec non MAXIMUS TYRIUS *dissert.* 38. Ἀραβιοι σεβουσι μην ὁν τινα δε ὀυκ ὀιδα: το δε ἄγαλμα, ὁ εἶδον λιθος ἦν τετραγωνος. Imo etiam CLEMENS in *Proterptico* apud BOCHARTIUM *Geogr. Sac.* Lib. II. cap. XX. p. 112.

§. XXI.

Peragebatur autem *Cemoschi* hujus cultus, ut eò deveniam, in urbe *Mecca*, patria Mohammedis, (de qua vid. ABULFEDA in *Descript. Arab.* pag. 40.) & quidem in medio *Templi* Mohammedanis sanctissimi, quod proprie الكعبة *AlCaaba* appellatur, quodque ab Adamo ipso ad Mohammedis usque tempora conservatum, sancteque habitum fuisse, probant *duumviri harum literarum peritissimi* POCOCKIUS & MILLIUS, prior in notis ad *Abulfarai* p. 115. seq. posterior in dissert: de *Mohammedismo ante Mohammedem* §. XI. seq. Peregrinationes, quæ in *Idoli* hujus, ejusque cultûs gratiam illuc quotannis instituebantur, quasque jam ante Mohammedem à Deo ipso, Abrahamo & Ismaeli, quin imo Adamo, imperatas volunt Arabum doctores, sicco pede transeo. De ipso tantum *Cemosch* s. *lapide nigro* hoc adhuc observamus, quod ipsum hunc *lapidem*

posita syllaba ذو *du* vel *dy*, quam, *Domini* significationem in compositione habere, norunt etiam illi, qui vel à limine hanc linguam salutarunt. Ut adeo δυσαρης vel ut *Arabice* scribitur ذو الشري ex genitiva sua indole nihil aliud sit, quam *dominus contentiouis & strenuitatis.* Imo, ut verum fatear, non video, quid obstet, quo minus quoque affirmem, τὸ δυ vel δυ istud, minime servilem, sed potius radicalem esse syllabam. Nam haud dubie δυσαρης est ipsum Arabum دوسر *crassus, durus,* à *them* دسر *pepulit, impulit, confodit hasta.* Hinc دوسر *Leo,* & دواسر, دوسري nec non دوسراني *crassus, durusque.* Quæ omnia idem valent ac Latinorum *Martis* Epitheta, *durus, sævus, sanguineus, mavors, latrocinans* &c. Inde plurimi occurrunt Nummi, in quibus, tanquam talem, cum inscriptione certa, se conspiciendum præbet.

pidem nigrum manu *Gabrielis* illuc cœlitus demiſſum, referant. ZAMCHASCERIUS وجاء جبرائيل بالحجر الاسود من السماء quidam narrant, *Gabrielem in* (AlCaabbæ) *ædificium attuliſſe nigrum lapidem è cœlo.* Quem vero ſitum illic habuerit, eleganter declarat SCHARIFOL' ADRISIDES in libro: نزهة المشتاق في اختراق الافاق *Egreſſio capientis ad pertranſeundas terræ regiones*, quando ait: الكعبة هو البيت المسقف في وسط الحرم وهذا البيت طوله من خارجه من ناحية الشرق اربعة وعشرون ذراعا وكذلك طول الشقة التي تقابلها في جهة المغرب وبشرقي في هذا الوجه باب الكعبة وارتفاعه علي الارض نحو قامة وسطح الكعبة من داخل مساو لاسفل الباب وفي ركنه الحجر الاسود *Eſt AlCaaba domus illa tecto operta in medio oratorii ſacri. Domus iſtius longitudo extrinſecus orientem vſ. 24. cubitorum eſt, eademque lateris oppoſiti quà occidentem ſpectat, menſura. Ad partem orientalem eſt porta AlCaabæ à terra circiter hominis ſtaturam remota, cujus imo pavimentum AlCaabæ interius æquale eſt. In ejus ANGULO* (qui portæ vicinus) *EST LAPIS NIGER.* Hunc tamen ſitum, ex mente BREIDENBACHII hicce *lapis niger* demum tempore Mohammedis nactus fuit; ſcilicet, cum ille veniens priſtinam gentis ſuæ conſuetudinem nollet tollere. Sed ne tamen videretur Idolo ſacrificandum eſſe, præcipere, *lapidem nigrum* in angulo domûs conſtituit, cujus ne appareret facies, dorſum extra poſuit. Cujus verba ut nimis prolixa heic inſerere non libet, idcirco lectorem noſtrum ad ipſum illum ablegamus.

§. XXII.

Antequam verò ad ipſum *Cemoſchi* hujus cultum deveniamus, illorum *indumentum*, quo neceſſario ipſum adoraturi, induendi, in anteceſſum paucis conſiderandum. Illud autem MAIMONIDES in Ep. ad *Proſelyt. Religioſ.* hiſce deſcribit verbis: כמוש עבודתו בפריעה הראש ושלא ילבש בגד תפור ודברים כלם מפורשים וידועים אצלם שתאסור מקודם דת הישמעאלים *Cemoſchi cultus* peragebatur *nudatione capitis, & ut quis veſtem ſutilem non induat; quæ omnia apud illos manifeſta ſunt, & nota fuerunt ante conditam legem Iſmaelitarum.* Veſtis autem hæc, quam MAIMONIDES præciſe בגד תפור nuncupat

 cupat

cupat, Arabibus proprie احرام *Ihram* audit, quamque ex *lana* ad modum *Lintei*, seu *Indusii* sive *Camisiæ*, confectam, Veterum Scriptores tradunt. Cæremonias singulares, quibus ad *lapidem nigrum* accessuri, se præparare debebant, narrat ALBERTUS BOBOVIUS *Turcarum Imp. Mohammedis IV. olim interpres primarius* in tract. de *Turcarum Liturgia*, adjunct. ABRAH. PERISTOL. *Itin. Mund.* edit. THOM. HYDE (Oxon. 1691. 4to.) p. 13. qui, postquam varias peregrinantium stationes circa Meccam, recensuisset, ita pergit: *Quando volunt induere istud operimentum, debent præscindere ungues propter latentes ibi sordes, & tondere mystaces, & barbam, & radere pubem, caput & corpus; & postea vel totum corpus abluere quod melius, vel saltem caput, pedes, & manus: Et tum induunt Operimentum illud album, & super collum mittunt pallium seu stolam dictam* رداء * RIDA, *etiam albam: utrumque novum, quod pulchrius, vel saltem bene lotum: & liceat cooperire pudenda aliquo altero panno. Quando autem cæteras omnes vestes exuebat, debuit suffitu Agallochi vel Storacis vel aliûs Thymiamatis se incensare, & suffire, postea duarum Inclinationum orationem perficere, & decies subsistendo dicere,* لبيك اللهم لبيك لا شريك لك لبيك ان الحمد والنعمة لك والملك لا شريك لك *Adsum tibi moriger ô Deus, adsum tibi; non est socius tibi: nam laus & beneficentia tua est, & Regnum tuum est sine socio.* Hisce itaque rite peractis adoraturus demum محرم *Mohrem* s. *Sacratus* (id est, qui indumento dicto احرام *Ehram* i. e. *sacro* inductus) evadebat. Sic ipse *Mohammed* محرم *Mohrem*, cum peregrinationem Meccanam obiturus, audit apud ISMAELEM ABUL-FEDAM Cap. 47. de *vita & rebus gestis Mohamm.* p. 99. Sic *Ali Abu-Tabeli* filius, eodem nomine nobilita-

* Radix est ردي cujus *Conj.* II. ردّي signat *pallio, palla, exteriore indumento induit*, & *Conj.* V. تردي *sumsit, induitque pallium pallamve.* Inde figurata locutio ردّاه الله رداء عمله *induit ipsum Deus pallio proprii operis.* Atque adeo nostrum رداء proprie est *pallium, palla, vestis* seu *operimentum exterius* quodcunque, qua *viri*, qua *fœminæ*, sive *consutum* sit, nec ne, ipsum quoque *caput*, præsertim quum de fœminis, usurpatur, cooperiens, vel etiam in humeros rejectum, aut de solis humeris pendens.

tatus fuit ap. eund. ABUL-FEDAM Cap. 60. p. 130. Hinc omnes & singuli quoque peregrinantes, sese hocce indumento prius consecrabant. ALSCHARESTANIUS وكانوا يحجون البيت ويعتمرون ويحرمون *Peregrinantes ædem* (Alcaabæ) *adibant, eamque religionis ergo invisebant, se eum in finem consecrantes*, id est, indumentum sacrum induentes. Qui vero ita *Sacratus*, antequam ad adorandum se conferret, à variis rebus se continere debebat; ex gr. *abstinere debebat ab obscœnis dictis, à contentionibus, nec cooperiat Caput dicta Syndone, nec faciem saltem*, & ita porro; de quibus vid. BOBOVIUS l. c. p. 13, 14. Cujus vestitus rationem reddit MAIMONIDES l. supra cit. אבל הישמעאלים היום אומרים זה שנפרע ראשנו ושלא נלבש בגד תפור בתרופות הוא כדי שנכנע לפני האל יתעלה ולזכור היאך יעמוד אדם מקברו *Certe Ismaelitæ nunc dicunt, ideo nos caput nudamus, & vestem sutilem non induimus in peregrinationibus, ut nos coram Deo submittamus, & in memoriam revocemus, quomodo resurrecturus sit homo è sepulchro suo.* Observari adhuc meretur, veteres Arabes ante mohammedis tempora, plane omnibus depositis vestibus, nudos accessisse, ut docet ALHASANUS ad *Alcor.* Sur. VII. 27. كان اهل الجاهلية يطوفون بالبيت *Veteres Arabes* ante mohammedis tempora *incuibant Alcaabam nudi* sine vestibus. Quo significaturi erant, se ita peccata sua, tanquam sanctos, deposuisse, hisce verbis, referente FAIK in MSto: جاهلية العرب apud Cl. *Millium* diss. cit. §. XII. هذه ثياب قارضنا فيها الاثام فلم نعود فيها وسموها اللقاء *Hæc sunt vestimenta in quibus peccata commisimus, non revertemur in illis; vocabantque ea rem abjectam.*

§. XXIII.

Ipse autem hujus *lapidis nigri* sive *Cemoschi* cultus in eo consistebat, quod esset in religiosis circuitibus officiosissime semper *Salutandus*, vel etiam *osculandus*, vel *osculo jacto* adorandus, si tangi *manu* vel *ore*, nequiret; quod proprie استلام الحجر * appellatur. Sic ipse *Mahomed*

D 2

* استلام est *Conj.* VIII à Th. سلم *integer fuit*, item *salutavit* formula orientalibus vernacula consuetudine trita; שלום עליך سلام عليك *pax tibi.* In *Salute* autem impertienda locum invenit *osculum honoris*, Hinc *Conj.* VIII, استلام specia-

med eundem *osculatus* fuit, uti describitur à *Giabero Abdollahi filio* qui huic peregrinationi inter fuit cum ipso *mohammede*, referente *Moslemo* Auctore libri dicti *Al-Sahib*, citante Cl. GAGNIERO in notis ad *Abul-Fedam*, p. 130. حتي اتينا استلم الركن ورمل ثلاثا ومشا اربعا ثم قدم الي المقام ابرهيم ثم رجع الي الركن فاستلمه *Cumque ad domum* Caabæ *venissemus*, *osculatus est angelum* lapidis nigri; *moxque* (septem circuitiones faciendo) *ter deproperavit*, *quater incessit*; *tum propius accessit* ad Al-Mekam; i. e. ἱποδιον Ibrahimi; & *reversus est ad angulnm* lapidis nigri *quem iterum osculatus est*. Cum vero Mohammed aliquando lapidem nigrum nec *manu* nec *ore* poterat apprehendere, tum eundem tamen baculo suo, quem in manu gerebat, officiosissime tangendo, salutabat, ut testatur ISM. ABUL. FEDA in *ejus vita* Cap. LI. p. 107. ولما اطمان الناس خرج النبي صلعم الي الطواف فطاف بالبيت سبعا علي راحلته واستلم الركن بمحجن كان في يده *Cumque homines jam satis pacati essent, prodiit propheta - - ad Circuitiones peragendas; & domum* (Caabæ) *septies obeundo Camela sua vectus circumivit; tum etiam venerabundus Angulum* lapidis nigri *scipione, quem manu sua gestabat, tetigit*. Omnium autem accuratissime *osculationem bujus lapidis nigri* examinavit, modumque ipsum detexit, quo illa peragenda ALB. BOBOVIUS, qui & ipse, tanquam bonus *Moslemus*, peregrinatione meccana defunctus fuit, in tract. de *Turcar. Liturg.* p. 14. digna sunt ejus verba, quæ audiantur: Quando ingreditur meccam, debet prius recta „ ire

liter signat: *Salutavit cum osculo*, vel *manu contigit*, vel *amplexus* fuit venerabundus nostrum *lapidem nigrum*, Templi Meccani, venerationis & religionis ergo. Hallucinatur autem TEBLEBIUS vel potius AMBARIUS, quem laudat, quando notionem hujus Conj. VIII. aliunde repetit ad ABI MUHUMMED ELKASIM. *Consess. Sanan. II.* p. 114., ut recte ibidem *Decus illud literarum* Cl. ALB. SCHULTENS, (qui in edendo hosce *Consess. Sananens.* HARIRI ex MSS. notis eruditiss. instructos hucusdum occupatur) monet. Verba Scholiast. TEBLEBII ita sonant: *Ibn Ambari ait*, استلم Istalama *in lapide nigro significat capere & tangere manu sua, estque VIII. Conj. illa formata à* السلامة Salama, *quod lapidem notat.* Idiomate scilicet *Himjaritarum* qui Arabiæ Felicis populus sunt سلامة *Salama* significat *lapidem* ut Cl. GOLIUS ex GIGGEO adnotat.

ire ad templum, quod primo intuitu salutans dicat, الله اكبر ,,
Deus est maximus, & لا اله الا الله non est Deus, nisi ὁ Θεος. Et,,
priusquam accedat ad حجر اسود *lapidem nigrum*, ubi iterum elatis
manibus ad aures, uti ante, orationem eandem dicat; & si sine in ,,
commoditate sociorum potuerit, ipsum lapidem osculetur, aut,,
tangat manu, & eadem faciem perfricet; aut tangat aliqua re, ,,
quam habebat in manu, nempe Corallã; aut signum faciat se,,
velle osculari, semper ea quæ supra dicendo & Deum laudando, ,,
& pro Propheta preces fundendo. Tum circumeundo Templum, ,,
peragat *Processionem* illam quæ vocatur طواف القدوم *Circumitio*,,
seu *Processio boni-Adventus*, quam incipit à dextra parte portæ. Et,,
extendat stolam seu Palliolum suum sub axillas mittendi gratia, ,,
& alteram partem projiciat super humerum * sinistrum, & pro-,,
cedat pone الحطيم *Al battim* seu *murum* illum humilem qui per-,,
tingit usque ad medium corpus: hunc murum septies circum,,
eat, parvis passibus, sed properando & humeros agitando in tri-,,
bus prioribus *Circuitibus* اظهارا للجلادة علي المشركين in,,
manifestationem certaminis contra associatores prompte & alacriter susci-,,
piendi. In quatuor reliquis *circuitibus* procedet gravi passu: &,,
quotiescunque præterierit dictum lapidem, illum semper salu-,,
tet. Et finiat *Processionem* suam iterum osculando vel amplecten-,,
do (ut supra) dictum lapidem: & osculetur & salutet angulum,,
arabiæ felicis, uti dictum lapidem, quotiescunque ante ipsum præ-,,
terierit; nam sic erit pulchre actum & pie &c. Mohammedani,,

 autem

* Quomodo & ipse *Mohammed* qui primus auctor hujus fuit ritûs, se expedivit, ut docet *ISMAEL ABUL-FEDA* in *vita moham.* Cap. XLVII. p. 98. ubi *post-quam* دخل المسجد اضطبع بان جعل وسط ردايه تحت عضده الايمن وطرفيه علي عاتقه الايسر *Ingressus Templum* Meccanum statim *se expediebat dimidium pallii sui sub brachio dextro colligens, & oram ejus super humerum sinistrum rejiciens.* A qua tamen cæremonia mulieres aliquatenus erant liberæ. ALGIUZIUS quippe in *libro de ritibus Peregrin. Meccanæ* Cap. 83. observat quod لا ترمل المراة ولا تضطبع *mulieres hanc peregrinationem non peragunt, neque se expediunt, vestes suas* (more virorum) *colligendo.* Pro quibus ratio plana est.

autem per hunc ſingularem *oſculationis* ritum indicaturi erânt, ſe *benedictionem* aliquam eodem conſequuturos. Atque inde *Lapidi nigro* nomen βραχθαν *Brachtan* inditum videtur, vid. POCOCKIUS in *ſpecim. Hiſt. Arab.* p. 114. Nam برك Hebr. ברך proprie eſt *genua flexit*. Hinc in ſecundaria notione *benedictionem* involvit. Sic ut lapis τȣ βραχθαν proprie ſit *lapis benedictionis*, ſeu, quem *benedictionis* conſequendæ gratia oſculantur. Huc aurigantur verba SAFIODDINI: *Non deſiit lapis iſte in magno honore eſſe, & olim ante mohammedis tempora, & poſt immutatam ab eo cultûs rationem* הַתַּבְרֵךְ אלנאס בה *benedictionem ab eo captabant homines*, ſub eo tranſire, eumque venerabundi oſculari.

§. XXIV.

Huncce denique *lapidem nigrum*, tam *Arabibus* quam *Mohammedanis* omnibus ſacrum, ac ſumma ſemper religione cultum *Karmatiani*, ductu *Abutaheri principis Hagjaræ*, imperante *Muctadiro*, peregrinis Meccam accedentibus ſpoliatis, imo eorum, dum ipſam Caabam circumirent, mille ſeptingentis necatis, aliisque ejusmodi horrendis facinoribus perpetratis, *loco ſuo avulſerunt & ſecum abſtulerunt*, anno *Hegiræ* 319. juxta SAFIODDINUM, vel 317. A. C. 929. juxta ABUL FEDAM, AHMEDEM *Joſephi Filium* & ELMACINUM. Qui poſterior *Lib. II. Hiſt. Saracen.* p. 194. ita ſcribit: (verba latine tantum reddita, exhibeo ob defectû quarundam literarum) *Abutaherus Princeps Hagjaræ, Caramita, hoc anno* (317. Hegiræ) *adorſus eſt Meccam, die octavo Dulhiggiæ, & peregrinos, in templo ejus occidit, LAPIDEM NIGRUM, & tectum putei Zemzemi evulſit, ac templum vaſtavit.* Atque hinc nonſolum Arabum doctores facinus iſthoc appellant مصيبة ما اصيب االسالم بمثلها *Infortunium, cui nullum unquam par*, ſed & ELMACINUS exſerte inter illas commemorat res, quæ nunquam antea cognitæ fuerunt, in *Hiſt. Saracen.* L. II. p. 195. *Contigerunt ejus* (Muctadiri Imperatoris) *tempore quædam quæ nunquam ante contigerant qualia ſunt, quod viginti quinque annis Chalifatui præfuerit, id quod nemini ante eum contigit. Quod duodecim Conſiltarios creaverit, & quod peregrinatio meccana ceſſaverit, ex quo Abutaherus meccam erat ingreſſus, & LAPIDEM NIGRUM ſuſtulerat.* Interea tamen temporis, cum *Karmatiorum Secta* videret, ſe nullo modo à *Mohammedanis* impetrare poſſe, ut eos à Mecca ad ſe traherent, & eorum erga ſuum

ſacra-

ſacrarium, Zelum extinguerent; tandem elapſis 22. annis, minus uno menſe, quinto die DULKIDÆ, LAPIDEM *remiſerunt* NIGRUM, ut memoriæ tradidit ELMACINUS l. c. p. 194. *Reverſus eſt* (Abutaherus) *in urbem ſuam, auferens LAPIDEM NIGRUM; qui LAPIS NIGER in manibus eorum manſit annos* إثنتي وعشرين *viginti duos*, (non *duodecim* ut Cl. ERPENIUS in verſione ſua habet) *minus uno menſe. Deinde eum reddiderunt, die ſcilicet quinto Dulkiadæ anni Hegiræ 339;* Karmatii interim Mohammedanis illudebant; quaſi *lapidem ſuppoſititium* remiſiſſent; quibus tamen reſponſum dabant, rem hoc indicio patefieri, ſi ſc. lapis genuinus eſſet, *aquam innata ſibi qualitate* ſupernataturum, quod, cum ſpectantibus Karmatiis facerent, omnis ſcrupulus ex eorum animis, qui inde oriri potuiſſet, exemtus eſt. Verba prout apud AHMEDEM *Joſephi filium* leguntur, citat Cl. POCOCKIUS ad *Abulf.* p. 119. Reſtituto itaque *lapide Nigro* in integrum, *Mohammedani* illum tam charum habuerunt, ut pro maximo etiam pretio è manu ſua tolli noluerint. Hinc illum, neque *Jabcamo*, qui quinque aureorum millia, pro eo, cum reſtitueretur à Karmatiis obtulerat, tradiderunt, ut narrat ELMACINUS l. c. p. 194. *Obtulerat autem iis pro eo* lapide nigro, *Jabcamus quinque aureorum millia; at noluerant, dicentes: Nullius juſſu eum cepimus, & nullius juſſu eum reddemus.*

§. XXV.

Atque hæc ſunt B. L. quæ de *Cemoſcho* in præſenti ſub auras ferre mecum conſtitueram. Coronidem nunc tractationi meæ impono, atque miſeros hoſce *Cemoſchi Cultores*, iisdem deploro verbis, quibus JULIUS FIRMICUS Idolomaniam ejusque Sectatores olim riſit in *tract. de Prof. Relig.* p. 6. *ô miſer homo, inveniſſe te neſcio quid gaudes, cum animam tuam ex iſtis ſacris per annos ſingulos perdas. Nihil illic invenis niſi ſimulacrum, quod ipſe poſuiſti, niſi quod iterum aut quæras aut lugeas. Quære potius ſpem ſalutis, quære exordium lucis, quære quod te ſummo Deo aut commendet, aut reddat. Et cum veram viam Salutis inveneris, gaude, & tunc erecta ſermonis libertate proclama* ευρηκαμεν, συγχαιρωμεν.

MANTIS-

Pag. 18. lin. 28. pro צער צער reſtitue צער.

MANTISSÆ LOCO ANNEXA
PHILOLOGICO-THEOLOGICA:

I.

Sententia illa, quæ קְלָעִים *atrium Tabernaculi Mosaici cingentia*, ocellata & adſpectui pervia *fuiſſe ſtatuit, fluxo nimis fundamento nititur.*

II.

Phraſis מָלַק אֶת רֹאשׁוֹ *quæ de mactatione avium in ſacrificium offerendarum Lev. I. 15. & V. 8. uſurpatur, nihil aliud quam* Capitis complanationem & compreſſionem inter digitos, ſine jugulo ſciſſo, ruptove *exprimere videtur.*

III.

Sacram menſam Panum Propoſitionis Vaſa *habuiſſe* libatoria, *in quibus* vinum *appoſitum, ad aram exteriorem deinde effundendum, veri ſatis ſit ſimile.*

IV.

Aberrat Cl. Seringhamius *à via, quando ad* Cod. יוֹמָא Cap. *IV.* §. *1. aſſerit, phraſin* בֵּית הַשְּׁחִיטָה Rabbinis *uſitatam pro* Cervice *ſumi; Cum potius per eam deſignetur* jugulum, *aut* collum ipſum, *vel ſpecialius* duo illa סִימָנִין Signa Colli, *quæ in mactatione animalium cultro proſcindenda.*

V.

V.

Confessio Augustana, quæ ao: 1531. prodiit, & quæ pro invariata haberi solet, ipsa quoque jam variata fuit. Cùm enim articulus decimus Confessionis illius, quæ Cæsari in Comitiis Augustanis ao: 1530. d. 25. Junii tradita fuit, in hæc verba conceptus esset, Credimus, Corpus & sanguinem Christi sub specie panis & vini verè adesse in Cœna Domini; *deinde anno sequente in lucem emissa Confessio eundem articulum sic mutavit:* Credimus, Corpus & sanguinem Christi verè adesse & distribui in Cœna Domini.

VI.

Articulus Augustanæ Confessionis, quæ invariata dicitur, ordine Decimus, qui sic legitur: De Cœna Domini docent, quòd Corpus & Sanguis Christi verè adsint, & distribuantur vescentibus in Cœna Domini, & improbant secus sentientes; *Confessionibus Ecclesiarum nostrarum non adversatur, cùm & nos non secus sentiamus.*

VII.

Nec repudiamus articulum Undecimum ejusdem Confessionis: Confessionem & absolutionem privatam in Ecclesiis retinendam esse, quanquam in Confessione non sit necessaria omnium delictorum enumeratio.

VIII.

VIII.

Neque etiam adversamur articulo Duodecimo, quo damnantur Anabaptistæ, qui negant, semel justificatos posse amittere Spiritum sanctum.

IX.

Tametsi gratiam Spiritûs sancti salutarem, justificatis à Deo concessam, inter dona Dei αμεταμέλητα *omnino referimus.*

X.

Cùm sacra Cœna communionem Christi & omnium ejus Bonorum piè utentibus obsignet, usus ejus minimè negligendus, sed sæpe iterandus est.

XI.

Romanenses propria vineta cædunt, dum efficacitatem sacramentorum ab intentione ministri pendere volunt.

XII.

Johannis sexto capite de sacra quidem cœna non agitur; tamen manducatio & bibitio corporis & sanguinis Christi, quæ spiritualis est, & fide peragitur, quæ in sacra quoque cœna inprimis requiritur, eo loco à Servatore satis dilucidè exponitur.

361336

Schumachers
Cemoschs Moabitarum
Idolo